

649.

1278 d. 22 Jul.

Söderköping.

Kon. MAGNUS Is och WALDEMARIS Gåfvobref på tredjedelen af sina gods Yxnaberga, Heslås och Boda i Östrahärad Njudinge till Prestmannen Magister ODDE BRODDESSON.

A. 7. a. 1: 12.

MAGNUS dei gracia rex sveorum. Waldemarus eadem dei gracia quondam rex sveorum vniuersis presentes litteras inspecturis vel audituris graciā cum salute. Constare volumus omnibus tam posteris quam presentibus nos cum consensu dilecti fratris nostri domicelli benedicti partem nostram prediorum terciam silicet jn østraheret in niudhungia in villulis tribus dictis & nominatis ab hominibus. vxnabierggha. hesleasa. bothe. dilecto nobis clericō magistro oddonj filio bruddonis de niudhungia iure hereditario contulisse perpetuo possidendum. volumus insuper vt dictus magister oddo liberum arbitrium habeat inhabitandi dicta predia & eis attinencia seu vendendi vel commutandi vel dandi vel quocumque modo sibi alienandj pro sue libito voluntatis. Ne igitur super hiis in postererum aliqua ambiguitatis callumpnia valeat suborirj. in testimonium & certitudinem firmiorem huius facti sigilla nostra nec non & dilecti fratris nostris domicelli benedicti. & domini. H. episcopi lincopensis. & domini A. episcopi strenginensis. & domini E. episcopi scarensis. & domini johannis philipisasun. & domini benedicti osgotorum legiferj. & domini magni iohansun. & domini karoli marscalchi dignum duximus apponenda. Datum svdhurcopie anno domini. M°CC°. LXX°.VIII°. in die beate marie magdalene.

Sigillen N:o 1, 3, 4, 7, 8, 10 saknas jemte pergamentsremsorna; de öfrige äro qvar, dock något skadade.

650.

1278 d. 20 Aug.

Dom-Capitlets i Skara Bref till Ärke-Biskopen i Upsala med underrättelse om anställdt Biskopsval.
A. 3. z 1: 8.

Reuerentissimo in christo patri ac domino. Jacobo diuina miseratione vpsalensi archiepiscopo. B. prepositus & capitulum ecclesie skarensis debitam reuerenciam cum promptissimo famulatu. Quia sacrī canonibus nouimus esse cautum ut ultra tres menses pontifice proprio cathedralis non vacet ecclesia ne lupus rapax per defectum pastoris gregem dominicum inuadat. aut in facultatibus suis ecclesia viduata graue dispendium paciatur. Ea propter bone memorie Erico episcopo. Anno domini. M°CC°LXXVIII°. in die beati jacobi sicut domino placuit ab hac luce subtracto & corpore ipsius prout moris est ecclesiastice tradito sepulture. Nos. b. prepositus & canonici skaren-
ses conuenientes in vnum ad eleccionem futuri pontificis canonice celebra-

dam terminum videlicet diem veneris post octauam beati laurencii duximus statuendum. Citatis igitur interim & tunc presentibus omnibus qui uoluerunt debuerunt & potuerunt commode interesse eleccioni. In capitulo nostro nos recepimus de eleccione futuri pontificis tractaturi. & post diuersos tractatus inter nos habitos & nominaciones diuersarum personarum simplices & discussiones. & inquisiciones multiplices. placuit nobis omnibus & singulis per viam compromissi ecclesie nostre uiduate prouidere. dedimusque potestatem dominis. B. preposito. petro legifero & nicholao algoti. concanonicis nostris, nostris ut iidem uel maior pars ipsorum vice sua & nostra per eleccionem canonicam uel nominacionem sollempnem seu postulacionem concordem, ecclesie nostre vacanti, prout inter se conuenirent vnum de hiis silicet. brynylpho benedicto tuuonis tustone & Magistro nicholao, concanonicis nostris prouiderent. jta quod unus ipsorum de consensu compromissariorum suorum uel maioris partis ipsorum vice sua & collegarum suorum & nostra, illum in quem conuenirent, eligeret seu postularet & eleccionem seu postulacionem sollempniter in nostra presencia publicaret. Qui secedentes in partem prout nobis postmodum retulerunt requiescerunt super hoc canoniconorum consilia singulorum. Quibus auditis & deliberacione inter se diligenter habita in dominum brynulphum concanonicum nostrum & decanum lincopensem omnes vnanimiter conuenerunt. virum vtique plene & mature etatis, utpote qui iam tricesimum etatis annum exegit virumque sufficientis litterature & ydoneum de matrimonio legitimo susceptum. in sacro ordine dyachonatus constitutum, de vita & moribus apud plurimos commendatum, Quem dominus petrus legifer secundum formam in compromisso appositam in hunc modum elegit. Anno domini M°.CC°.LXXVIII°, XIII, kalend. septembbris die sabbati post assumptionem beate Marie Ego petrus legifer canonicus scarensis de uoluntate & consensu collegarum meorum. dominorum. B. perpositi & nicholai algoti in quos compromissum fuit a capitulo. sicut est superius prelibatum. & vice mea & ipsorum & omnium aliorum in eleccione ius habencium & hic presencium. quorum subscripciones inferius sunt. & ex protestate mihi tradita & collegis meis inuocata sancti spiritus gracia dominum brynulphum concanonicum nostrum & decanum lincopensem, in quem nos. B. prepositus & nicholaus algoti. & ego petrus legifer conuenimus, in nostrum & ecclesie nostre episcopum eligo & pastorem. & ipsam eleccionem in scriptis factam & sollempniter & in communij publico. Dictam uero eleccionem sicut canonice & sollempniter celebratam unanimiter recepimus & approbauimus. te deum more solito decantando. Paternitati igitur uestre duximus suplicandum ut eleccionem supradictam dignemini confirmare. & dicto electo nostro munus consecracionis per sacram manuum inposicionem in pertiri vt deo auctore nobis uelut pastor ydoneus & toti dyocesi in hiis que

pertinent ad episcopum preesse ualeat & prodesse. Nosque & alii sibi commissi sub eius sacro regimine possimus coram deo salubriter militare vt autem omnium nostrum vota in predictis omnibus & singulis consensisse & in hanc eleccionem & peticionem conuenire noscat. paternitati uestre hoc canonicum decretum mittimus roboratum propriis manibus & subscriptionibus ad maiorem cautelam sigillo capituli nostri & sigillis propriis sigillatum. Ego. B. prepositus subscribo Ego matheus subscribo Ego Signatus subscribo. Ego thusto subscribo. Ego benedictus subscribo. Ego thorirus subscribo. Ego Nicholaus subscribo. Ego laurencius subscribo. Ego petrus algoti subscribo. Ego nicholaus algoti subscribo.

Sigillen N:o 1, 2, 8, bibehållna, de öftrige 8 mer och mindre skadade.

651.

1278 d. 22 Aug.

Stockholm.

Kon. MAGNUS I:s Förläning af alla Kongl. utskylder och ensaker af kyrkans gods i Husaby vid Laggahärad till Upsala Domkyrka.

A. 7. a. 1: 5.

Omnibus presens scriptum cernentibus Magnus Dei gracia Rex sweuorum salutem in domino sempiternam, Tenore presencium notum facimus vniuersis quod Colonias omnes sitas iuxta ecclesiam laggerreddy in osabý, quas dilectus frater noster dominus valdemarus quondam rex sweuorum, in corpus vnius canonie liberas ab omni honore et grauamine tam uektigalium quam regium causarum prout a fidedignis intelleximus ecclesie vp-salensi legaliter assignauit, a predicto honore uektigalium nec non et regium causarum, eciam maiorum que Ensakir uulgariter appellantur, autoritate regia in perpetuum liberos reddimus penitus et exemptos, jta quod nulli nisi canonico qui pro tempore eandem canoniam tenuerit super premissis teneantur aliquatenus satisfacere uel eciam respondere, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre exemptionis paginam infringere uel ei ausu temerario contrahire, si quis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem dei omnipotentis, gloriose uirginis marie, beati laurencij, ob cuius merita et deuotionem dicte colonie collate fuerunt ac eciam a nobis exempte, nec non et omnium sanctorum, nisi protinus resipuerit, se nouerit incursurum, Datum stokholm anno domini, M°,CC°,LXXVIII°, in octaua assumptionis uirginis gloriose.

Sigillet bortfallet.